



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 38. De Condemnatione Christi ad mortem crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXXVIII.

DE CHRISTI AD CRUCIS
mortem condemnatio-
ne.

PUNCTVM I.



EDENTE a Pilato pro tri- a Matth. 17.
bunali, vt sententiam con- 19.
tra Christum proferret; mi-
sit ad eum vxor eius, dicens,
nihil tibi & iusto illi: multa
enim passa sum hodie per vi-
sum propter eum. Hæ visio-

nes, quas vxor Pilati in somniis habuit, potue-
runt provenire vel à Dæmone, vel à bono
Angelo, alij enim sancti ab vno, alij ab alio fa-
ctas contemplantur, & vtroque modo utili-
tatem aliquam haurire licebit.

LICET ergo primùm considerare, quod
Dæmon extremam videns CHRISTI Do-
mini mansuetudinem, & inuictam eius in tot
iniuriis & doloribus patientiam, suspicari ce-
perit, ipsum verè esse Messiam, & filium Dei.
& qui regnum eius esset destructurus; ideo-
que vxorem Pilati, in somniis conterruit, vt
illa curaret impedire ipsius Christi mor-
tem; existimans per vxorem, posse marito
persuadere, quod ipse volebat. Est verò
attenta consideratione dignissimum, quàm

I.

bIacob. 2. 19

fit inuicta virtutis heroicæ vis, quæ vel ip-
 sis Dæmonibus adfert admirationem, de qui-
 bus Sanctus Iacobus ait, quod b *credant &*
contremiscant. credunt enim, iplis iudicijs
 conuicti; contremiscunt verò, ob maiestatem
 & sanctitatem, quam credunt: Vtinam omnes
 has virtutes Saluatoris aspicerent, vt in eum
 crederent & reuererentur! non tamen hoc
 solo contenti essent, sicut Dæmones, sed
 imitarentur eundem, & illi, vt par est, seme-
 rent.

II.

LICET etiam considerare, bonum Ange-
 lum fuisse, qui vxori Pilati inspirauerit, ac di-
 xerit, si eius maritus Christum condemnare-
 fore, vt ipse etiam condemnaretur, & grau-
 simas subiret calamitates; populus verò He-
 bræus esset desolandus. Et in hunc modum
 aliqua illi per visum obiecit, quibus illa rem-
 ta, marito persuaderet, vt Christum liberum
 dimitteret; ac propterea illa, Christum iudi-
 cauit esse iustum; taleque testimonium ded-
 apud maritum, cum significauit, *nihil tibi est*
iusto illi. O iuste, & hominum iustificator, cui-
 ius iustitia notissima est ac testatissima; qui
 tamen, etiam cum talis sit, nec admittitur, nec
 approbatur! iustifica me iustitiâ tuâ, & eum
 me fac participem; quia nec sine tua lo-
 cietate viuere possum; nec vel-

lem vnquam ab ea di-
 uelli.

PUNCTVM II.

SEDENS pro a tribunali Pilatus, videns, a Matt. 27.
quia nihil se excusando proficeret: sed ma- 24.
gnus tumultus fieret, accepta aqua, lauit ma-
nus coram populo, dicens; innocens ego sum a san-
guine iusti huius: vos videritis, & respondens v-
niat: sus populus, dixit: sanguis eius super nos, &
super filios nostros.

PERPENDENDVM hic primùm est, quã
frequenter Evangelistæ in hac historia; in me-
moriã nobis reuocent, Christi Domini no-
stri innocentiam, & testimonia, quæ Pilatus
de ea reddebat, vt in singulis eius tormentis
meminerimus, eum propter nostra peccata
pati; hac enim via, inuitant nos, ad maiorem
innocentis huius Domini compassionem, &
ad nostra peccata, propter quæ tantas ille
pœnas sustinet, deslenda.

DEINDE furiosa Iudaici illius populi ne-
quitia est perpendenda, qui modò Christo vi-
tam adimeret, effundendo eius sanguinem,
propriũ suum & filiorum obtulerint, acci-
pientes super se pœnas & supplicia, quæ Iu-
sti huius mors adedò iniusta merebatur: & ita
re ipsa illis enenit. Nam Christi sanguis, qui
potens aliàs erat, ad vitam eis præstandam,
qui sua culpa eum offendebant, factus est illis
occafio mortis, in sua pertinacia persistenti-
bus. Sed ego, alio quam Iudæi spiritu, dicam
aterno Patri, sanguis iusti huius filij tui, ve-

I.

II.

dd 5 niac

niat iuper me, & super Christianos omnes, ut nos mundet ac sanctificet. Et ego meum sanguinem tibi offero, desiderans illum effundere, pro eo, qui suum pro me effudit. O sanguis Saluatoris mei pretiosissime, ne venias iuper me, sicut iuper istos rebelles, ut me confundas, sed benignè veni, ut me laues ac iustifices. O Redemptor mi, ne permittas me Pilati exemplo, manus meas aqua lauare, corde interrim culpis maculato remanente; & iniqua opera, humano timore perpetrans, exculare eum velim, & in specie lauare; alteri tribuens illius cuius miser ego sum reus.

PUNCTVM III.

a Luc. 23.
24.

b Mat. 27.
62.

PILATVS a igitur adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illum, quia propter homicidium & seditionem, missus fuerat in carcerem, quem petebant. IESVS vero tradidit voluntati eorum ut crucifigeretur.

I.

HAEC fuit sententia iudicis contra Christum, qua illum ad mortem crucis condemnauit. circa quam perpendendum est PRIMVM, quàm fuerit iniusta, & simul crudelis; siquidem ipsemet iudex, Christum iudicabat innocentem, & eius innocentiae testimonium reddebat, non solum verbis, sed externa quoque illa lotionis manuum caerimonia, & nihilominus humano timore permotus, illam pronunciauit, ne populus eum apud Caesarem ac-

cularet; nihili faciens, ob eum timorem, ipsam iustitiam conculcare.

FVIT quoque eadem sententia crudelis: sciens enim Pilatus, Pontifices per inuidiam Christum tradidisse, & ex odio cupere, ut crucis mortem subiret; eum tamen *tradidit voluntati eorum*; secutus nimirum non rationem, nec iustitiæ, aut misericordiæ leges; sed furentis populi voluntatē; quæ non, nisi crucis morte Christo illata, conquiescebat. O dulcis IESU, nec te, nec tua tradere volo tyranno ad eum crudeli, qualis mea est propria voluntas; volo potius me & omnia mea tuæ voluntati tradi: mea enim voluntas, ad eum est crudelis, ut non videatur cessatura, donec te iterum in me crucifigat admissa culpa; tua verò voluntas, ad eum benigna est & misericors, ut gratia sua, me sit à morte liberatura.

II.

DEINDE, considerandum est illius gentis gaudium, & clamores quos edidit, cum talem sententiam audiuit pronuntiari; O quales inuicem congratulationes sibi dixerint; quòd tanti voti compotes euaserint! quod totum in grauem Christi Domini nostri iniuriam cedebat, qui audiebat omnia.

III.

PRAE cæteris verò, & maiori deuotione perpendam, qua ratione **CHRISTVS** Dominus noster, audita hac sententia, quamuis ex parte iudicis iniustissima, attendens tamen, eam ab æterno Patre, in mundi remedium decretam, statim libentissimè eam acceptarit, non appellans ab ea, non con-

que-

querens de iniuria, quæ illi inferebatur; nec
verbum dicens aduersus Iudicem aut eius
ministros: sed prompta voluntate, sese ad eius
executionem, propter nostrum bonum obui-
lit; seipsum beneuola sua voluntate, rabie
suorum inimicorum voluntati, tradens; ut
illi exequerentur, quod Pilatus sententia
decreuerat. Gratias tibi dulcissime Redem-
ptor, pro beneuola ista voluntate, qua senten-
tiam aded inuistam & crudelem acceptam,
ut me, à iustissima sententia æternæ damna-
tionis, quæ contra me lata erat, liberares:
quid tibi pro ista tua voluntate reddam? ego
meam tibi omninò trado, ut tuam in omni-
bus exequar: paratus sum ad acceptandam
quorumcunque laborum in me sententiam,
quam tu decreueris, aut ferri permiseris. Ad-
iuua me verò gratia tua; ut nec timore, nec
pusillanimitate, vnquam recedam à tuis man-
datis, aut officio meo desim, quod milititer
iunxeris.

IV.

LICET præterea, piè meditari, aliquem
discipulis, qui, licet occultè, huic sententiam
interfuerit, mox ad Virginem sanctissimam
iuisse: flebilemque figuram filij eius, & quod
ad mortem crucis damnatus iam esset, retrahere
se. Qua relatione fuit cor Virginis transfixum,
& ultra quàm sentiri aut dici possit afflic-
tum: sed exactissima resignatione tamen: in volun-
tate diuina, sententiam amplexa est: nihil de-
bitans, filium suum eandem acceptasse, ut
patris sui voluntati conformaret. O Virgo
suprema

suprema conforta cor tuum: nam sacrificio
interfutura es, in quo Patri æterno offeres,
quod ab eius manu acceperas: & si grauem ti-
bi attulit pœnam tristis illa relatio, quam tuis
auribus accepisti: maiorem multò adferet tri-
ste illud spectaculum, quod tuis oculis per-
spicies.

MEDITATIO XXXIX.

DE BAIVLATIONE CRVCIS,
& qua euenerunt antequam ad
Caluarium montem per-
ueniretur.

PUNCTVM I.



ROLATA, & acceptata
sententia, tria milites nota-
tu digna fecerunt, ex man-
dato iudicis.

I.
a Matt. 27. 31
a Marc. 15.
21.

PRIMUM fuit, a exue-
re eum chlamydem, & in-
duere eum vestimentis eius: Vt sic agnosceretur:
sed non legitur tamen, quod abstulerint illi
spineam coronam, sed illam potiùs reliquisse
credendi sunt, ne aliquod illi leuamen adfer-
rent. O dulcis IESV, exactè satis personam e-
gisti veri Regis, & propterea coronam tibi re-
linquunt, quæ regni tui perpetuitatem signi-
ficat. Tempus iam est, vt latronis & malefici,
cùm